

10

22.6.1943

*Fisionomia della Società sacerdotale della Santa Croce e dell'Opus Dei così come
risulta strutturata nell'abbozzo di regime presentato da mons. Eijo y Garay il
22.6.1943 alla Sacra Congregazione dei Religiosi.*

SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS

I

SOCIETATIS NATURA

1. « Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis » est societas praefreterent clericalis in communi viventium sine votis, ad normam tit. XVII, Lib. II Codicis I. Canonici constituta. Communitas autem vitae lato sensu sumitur (cf. c. 487).

2. Finis ejus generalis sanctificatio membrorum per consiliorum evangelicorum exercitium et constitutionum propriarum observantiam; specificum autem, adlaborare ut pars intellectualis et directiva civilis societatis Christi Domini praeceptis immo et consiliis adhaereat.

3. Ad hunc finem obtainendum « Societas Sacerdotalis S. Crucis » exigit, imprimis, in ejus membris maximam animi culturam, tum in rebus spiritualibus, tum in scientiis sive ecclesiasticis sive et prophanicis, uti melius infra patebit; foveat perfectam adimpletionem munerum professionalium, quibus non renunciat; utitur praesertim quadam propria apostolatus sui forma, dicta « Opus Dei », qua melius vim et efficaciam actionis apostolicae in Societatem inducat.

4. « Opus Dei » duplicum habet sectionem, alteram ab altera penitus distinctam et separatam, hominum, nempe, et mulierum. Illa inter homines apostolatum prosequitur; haec inter mulieres. Illa praeterea praebet Societati Sanctae Crucis membra, ita ut nemo in Societatem cooptari valeat qui primitus per aliquod tempus in « Opere Dei » non probe militaverit.

5. Societatis Sanctae Crucis spiritus proprius est zelus apostolicus, poenitentia, humilitas collectiva, submissio Auctoritati Ecclesiasticae, aestuans erga Christum, Virginem Mariam, Romanum Pontificem amor.

6. Sodales Societatis Sanctae Crucis religiosorum perfectionem aemulantur, quin nec illorum vota emittant nec aliquod externum signum in personis vel in domibus appareat quod religionem redoleat. Sacerdotes vestem clericalem, laici autem communes aliorum propriae classi respondentes deferunt.

7. Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis habet quoque speciales patronos quos singulari devotione prosequitur, videlicet: SS. AA. Michaël, Gabriel et Raphaël; et SS. Ap. Petrum, Paulum et Iohannem quibus diversae Societatis activitates singulariter consecrantur.

II

SOCIETATIS CONSTITUTIO ET ACTIVITAS

8. Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis constat duabus sectionibus, sacerdotali nempe et laicali, quin tamen veras classes diversas ad sensum juris religiosorum constituant (cf. c. 558); quinimmo sectio laicalis est velut gradus ad sacerdotalem cum ab ipsa sacerdotes seligantur, in eaque parentur.

9. Utraque sectio componitur membris seu sociis *supernumerariis*, qui dum perfectioni evangelicae acquirendae se devotent, operibus apostolatus Societatis propriis incumbunt; *numerariis*, qui praecipuis muneribus directionis Societatis designantur; *electis*, qui voce activa ad electionem Praesidis Societatis donantur.

10. Ad sacerdotium vocatio fit a Praeside Societatis, auditio suo Consilio; ordinationis autem titulus est « Societatis » (c. 982). Nemo ad ordines promovetur qui perpetuo Societati non sit adscriptus.

11. Quicumque Societati cooptatur, absque alio inter socios supernumerarios ad censemur; ad alias autem categorias accensum jubet Praeses gradatim et auditio proprio Consilio.

12. Ut quis *electus* designari possit requiritur: *a)* ut sit socius numerarius; *b)* ut sit triginta saltem annos natus; *c)* ut Societatis probe noscat historiam, spiritus et traditiones; *d)* ut iam a novem saltem annis in Societate militaverit; *e)* ut eidem servitia egregia praestiterit; *f)* ut homo consilii demonstretur, prudens, atque pietate solida praeditus; *g)* denique ut cultura religiosa et propria suae professionis praemineat.

13. Salvo praescripto can. 452, nequeunt admitti in Societatem Sacerdotes sacercales, alumni Seminiorum, religiosi et etiam qui tantum novitius vel postulans in aliqua religione fuit, aut alicuius Scholae Ap. alumnus.

14. Item a Societate excluduntur qui adulti baptismum receperunt, et qui tribus iam generationibus, saltem ex una linea, ascendentis catholicos non habuerint.

15. Praeterea ut quis in Societate admittatur requiritur, praeter alia requisita iuris communis et speciale ad ministerii Societatis aptitudinem, ut titulum academicum alicuius Universitatis civilis vel aequipollentis Status Facultatis possideat, necnon ut iam in eiusdem Societatis opere proprio sese exercuerit.

16. Admissio ad Societatem pertinet ad Praesidem, auditio eiusque Consilio.

17. Quis Societati incorporatur *fidelitate* qua socius in perpetuum Societati se devovet. Incorporationi precedit periodus probationis decem et octo mensium, et oblatio temporaria per quinque annos renovanda.

18. Circa dimissionem sociorum, post factam incorporationem, applicantur congrua congruis referendo canones de dimissione religiosorum.

19. Societas habet domicilia in quibus socii commorantur propriam cuique activitatem apostolicam et professionalem exercentes. Sacerdotibus incumbit formatio spiritualis aliorum sociorum, directio spiritualis praesertim intellectuum; ad hoc domus exercitiorum instituunt atque alia sacerdotalia munera exercent. Laici eidem operi coadiuvant et apostolatui exemplo, conversatione, amicitia, exercitio munerum publicorum.

20. Societas praesertim incumbit constitutioni et moderationi « Operis Dei », dupli classi, hominum et mulierum, quo speciali ratione utitur ad proprium ministerium explicandum.

Hoc Opus habet propriam constitutionem; regitur specialibus statutis.

21. Socii sive numerarii sive supernumerarii cedunt Societati quidquid industria lucrantur; de administratione usu et usufructu proprietorum bonorum libere disponunt, etiam favore Societatis: quae de caetero sociorum familiis forte indigentibus maxima generositate providet. Eisdem sociis Societas suppeditat quidquid ad eorum victim, studium, activitatem professionalem indigent.

22. Maxima diligentia cultura sociorum exigitur: Sacerdotes una saltem laurea doctorali praediti sint oportet: laicis speciali cultura religiosa impertitur.

Ad hoc singulis Territorii centra studiorum constituuntur ubi ecclesiasticae disciplinae serio excoluntur.

23. Ad pietatem autem singulorum membrorum fovendam, hic ordo vitae proponitur: *Singulis diebus*: operum Deo oblatio; oratio mentalis unius horae spatio; Sancta Missa; Communio; Sanctissimi Visitatio; lectio spiritualis; Praeses; Rosarium Mariale quindecim mysteriorum; discussio conscientiae. *Hedbomadarie*: Confessio sacramentalis; aliqua mortificatio corporalis; recitatio sabatina antiphonae Salve Regina. *In mense*: recollectionis dies. *Annuatim*: spiritualia exercitia. *Semper*, cura speciali fovetur: Dei praesentia; sensus filiationis divinae; spirituales communiones; gratiarum actiones; actus reparationis; orationes jaculatoriae; mortificatio; studium; labor; ordo; laetitia.

24. Ad accuriorem ipsius ordinis vitae adimplitionem, singulis hebdomadis, ubi Societas suam explicat activitatem, *Circulus brevis* habetur, qui religiosorum nonnullorum culparum capitulo quadamtenus assimilari valet.

25. Cum Societas Sanctae Crucis ut melius suum finem prosequatur externe uti simplex societas appareat, sese ubique locorum accomodat legibus quae pro societatibus latae fuerint.

III

REGIMENTUM

26. Societas Sanctae Crucis comprehendit regimen generale, territoriale et locale. Illud Societatem universam omniaque eiusdem opera afficit; istud, socios et activitatem determinati territorii; hoc, diversa centra localia.

Universa regiminis munera temporalia; admittitur tamen reelectio.

A. Regimen generale

27. Universam Societatem regit Praeses qui « Pater » dicitur, estque semper Sacerdos.

28. Deligitur ad normam iuris inter Sacerdotes « electos », a Consessu generali notabiliorum membrorum Societatis, id est, ab illis qui Consilium Generalem constituant et ab omnibus sociis electis.

29. Praeter requisita generalis iuris communis, sit Pater quadraginta annos natus.

30. Pater adiuvatur in ordinario regimine Societatis a Consilio, quod constat Secretario Generali, tribus Vicesecretariis, et Missis seu delegatis ex unoquoque Territorio delectis. Pater Consilium audit in praecipuis negotiis Societatis.

31. Proximus post Patrem venit Secretarius Generalis, qui specialiter eidem adsistit in expediendis negotiis Societatis, eumque in absentiis et infirmatibus supplet. Designatur a Patre inter Sacerdotes electos, auditio Consilio.

32. Vicesecretarii deliguntur inter socios electos et eodem modo designantur; possunt semper iterum ad idem munus designari. Hi praeponuntur diversis activitatibus Societatis, deque eis Patri et Consilio referunt.

33. « Missi » seu delegati territoriales, item inter socios electos designantur a Patre, auditio Consilio; incumbunt negotiis propriis cuiusque Territorii de quibus Patri et Consilio referunt.

34. Ut bono spirituali et corporali valetudini Patris consulant adsunt duo Custodes (admonitores) qui tamen ratione muneris Consilium non ingrediuntur. Designantur a Patre inter novem socios electos a Consilio praesentatos.

35. Vicepraeses, si de judicio Patris aut Consilii necessarium sit, Patrem adjuvat et substituit absentem aut impeditum; emortuo Patre Societatem regit ad electionem usque novi Patris. Designatur a Patre cum Consilio.

36. Ad rem oeconomiam gerendam est instituta « Consultatio Technica Generalis » cui praeest Administrator, ex sociis electis a Patre designatus, auditio Consilio Generali. Ei adsistunt aliqui socii numerarii a Patre nominati, ex propositis ab ipso Administratore Generali.

37. Consultationis Technicae Generalis est rem oeconomiam administrare sub vigilantia Patris et Consilii quibus de eadem administratione sexto quoque mense refert.

38. Administrationi Generali devolvuntur: *a)* Contributiones Administracionum Territorialium; *b)* Dona Societati in genere facta; *c)* Summa notabilis quae supersit Territorio quaeque destinationem specialem non habuerit.

B. Regimen territoriale

39. Diversae circumscriptiones territoriales in qua Societas distribuitur, reguntur « Commissione Territoriali » sub dependentia immediata a Patre et a Consilio Generali.

40. Commissiones Territoriales constant « Consiliario », qui Commissioni praeest, « Defensore » et tribus aliis membris, « Vocales » appellatis. « Missus » seu delegatus territorialis (cf. n° 33) ius habet Commissioni proprii territorii interveniendi, et sedet post « Consiliarium ».

41. « Consiliarius » nominatur a Patre, auditio Consilio Generali, estque socius saltem numerarius et, ut plurimum, Sacerdos.

42. « Defensor », cuius est fovere spiritum et observantiam in proprio territorio, eodem modo ac Consiliarius nominatur, estque etiam communiter Sacerdos. Speciale huius munus est referre Patri eiusque Consilio circa admissionem sociorum. In Commissione Territoriali post venit Consiliario.

43. « Vocales » designantur a Patre auditio Consilio Generali, Consiliario et Defensore Territoriali.

44. Ad rem oeconomiam gerendam sunt in singulis territoriis « Consultationes Technicae Territoriales », quibus praesunt Administratores a Patre nominati auditio Consilio inter socios numerarios.

45. Consultatio Technica Territorialis habet Assessores nominatos a Consiliario cum Defensore, audita Consultatione, inter numerarios Territorii.

46. Consultatio Technica rationes oeconomicas proprii territorii tertio quoque mense ad Consultationem Technicam Generalem remittit.

C. Regimen locale

47. In omnibus domibus Societatis, ubi adest sufficiens numerus sociorum, habetur etiam regimen locale, compositum ex Directore, Digniore et Administratore.

48. Director nominatur a Consiliario, auditio Consilio Territoriali, Patre probante: in negotiis alicuius momenti Dignioris consilium exquirit.

49. Dignior a Consiliario eodem modo nominatur: post venit Directori eumque supplet.

50. Administrator rei oeconomicae domi incumbit; nominatur a Consiliario, auditio eius Consilio, etiam Patre approbante. Singulis mensibus ad Administratorem Territoriale rationem administrationis localis impensarum et expensarum remittit.

51. Data natura Societatis, in administrandis bonis, praeter prescripta iuris communis tales societas afficiantur, habentur regulae propriae.

52. Denique in operibus propriae activitatis complendis Societas Sanctae Crucis, omnimodam submissionem profitetur Ordinariis locorum, quibus efficacius quo possit adiumentum cupit « *adhuc autem et animam suam* », ad animarum salutem, ad honorem et incrementum Sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem et gloriam Dei et Domini Nostri Iesu Christi. Amen.

QUID OPUS DEI: EJUS FINES ET MEDIA

Art. 1. - 1. *Opus Dei* est Associatio Catholica virorum ac mulierum, qui, in medio mundo viventes, propriam ipsorum perfectionem christianam, sanctificato labore ordinario, inquirunt. Persuasi, hominem creatum fuisse « ut operaretur » (Gen. II, 15), socii *Operis Dei*, licet potenti vel oeconomica vel sociali conditione pollentes, professionalem laborem aut aequivalentem haud deserere tenentur.

2. Haec autem media a sociis adhibenda obtinendo supernaturali fini sibi proposito: Interiorem et orationis et sacrificii vitam vivere, juxta regimen et spiritum ab Ecclesia Sancta adprobatos, propriaque munia professionalia et socialia, maxima rectitudine, obire.

Genera Sociorum

Art. 2. - 1. In *Opere Dei* tria sociorum genera numerantur: inscripti, supernumerarii et numerarii.

2. Socii admissi ut *inscripti* quotidianis et conscientiae examine et dimidia orationis mentalis hora ligantur.

3. *Supernumerarii* autem integra orationis mentalis quotidiana hora.

4. *Numerarii*, praeter integrum orationis mentalis horam, onus amplectuntur fungendi muneribus dirigendi *Operis Dei*.

Art. 3. - 1. Nullo praetextu admittentur ut socii *Operis Dei* nec Sacerdotes saeculares, nec religiosi, nec religiosae.

2. Nullatenus pariter, rejecta qualibet excusatione, admittentur qui sint vel fuerint alumni Seminarii vel Scholae Apostolicae, vel in Religione conversati fuerint, licet tantummodo in Novitiatu vel Postulatu.

3. Qui vero, socii *Operis Dei*, studiis ecclesiasticis operam dederint et Sacerdotes effecti fuerint, non ideo desinunt esse socii *Operis*.

Organa Directiva

Art. 4. - 1. Organa Directiva nationalia *Operis Dei* sunt Consilium et Coetus.

2. Consilium efformant Praeses, Secretarius et tres Consiliarii.

3. Coetum vero socii numerarii, e quibus, ordinarie, seligenda Consilii membra.

Art. 5. - 1. Consilium, singulis tribus mensibus, ordinarium conventum habebit; extraordinarium autem quoties illum tria saltem ejusdem membra expostulaverint.

2. Consilii est:

1) Satagere ut *Opus Dei* semper intra conditiones juridicas, legibus statutas, versetur.

2) Praebere oeconomica media solvendis sumptibus annuis *Operis Dei* necessaria.

3) Praecipere ut suffragia pro sociis defunctis celebrentur.

Art. 6. - 1. Muneribus Consilii, quae, novem mandati annis, vacarint, tum morte tum renuntiatione, providetur de communi consilio superstitum membrorum.

2. Membra Consilii poterunt in eadem munera iterum, aut pluries, eligi.

Art. 7. - Coetus conventum habebit singulis novem annis, eoque unico scopo ut Consilium eligat. Extraordinarium vero, si universa defuerint Consilii membra, a tribus sociis numerariis convocatum, adque novum Consilium designandum procedet.

Art. 8. - Decreta, tum in Consilio tum in Coetu, statuantur absoluta majori parte suffragiorum.

Suffragia et Inhumatio

Art. 9. - 1. Membris *Operis Dei* cura erit testamentum in forma legali conditum habere. Modestam pro se inhumationem, absque ulla vanitate, disponere tenentur.

2. Praeses disponet ut celebrentur Missae Gregorianae statim post cognitam cujusque socii mortem, quam sane reliquis sociis notam faciet, qui suffragia offerant sibi a proprio zelo inspirata.

Proventus et Sumptus

Art. 10. - 1. Proventus oeconomici *Operis Dei*, eleemosynae sociorum.

2. Nullam Consilium retinebit capitalem summam.

3. Si sumptus annui inferiores proventibus erunt, summa remanens in eleemosynam tradetur Ordinario Dioecesis, ubi *Opus* domicilium suum habet.

4. *Opus Dei* nec ulla legata recipere, nec pias fundationes sub quolibet praetextu admittere, nec bona immobilia possidere potest.

Domicilium

Art. 11. - *Opus Dei* unicum habet domicilium nationale.

Humilitas collectiva

Art. 12. - 1. Potissimum *Operis Dei* sigillum, humilitas collectiva membrorum.

2. Ne autem haec humilitas detrimentum patiatur:
 - 1) Prohibetur editio cujuscumque folii vel libelli publici, ut proprii *Operis*.
 - 2) Vetatur pariter quodlibet distinctivum vel insigne pro sociis.
 - 3) Suadetur sociis ne loquantur cum alienis de *Opere*, quod, quippe supernaturale, tacitum esse debet et modestum.

Dissolutio

Art. 13. Si *Opus Dei* dissolvetur, ejus bona, si quae superfuerint, in manus tradentur Rvdmi. Episcopi Dioecesis, ubi *Opus* domicilium suum habet.

E stato possibile controllare l'esattezza di alcune espressioni di questo documento su una copia gentilmente fornita da J. V.